



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

22 Iacob Isaaci Filius. Monita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Jam in ore primo stat Anima:  
 Jam gladium alter, alter jugulum nudat.  
 Præter id quod Mortis acerbiter adimit, Mors ipsa,  
 Sed catastasis horrorem læta excipit catastrophe:  
 Dum momento eodem,  
 Imperium Deus, ferrum Genitor revocabit.  
 Itaq; ad fortunatum Rebeckæ connubium servatum Pueri  
 Fœdus Aries pro succedanea Victimâ Aram imbuet.  
 „ De more Numinis, qui bonis minatur, malos perimit  
 sic Isaacus iterum natus, Abrahamus iterum Pater,  
 Uterq; Actor, corollam ferent.  
 Agetur Tragœdia ludis verè Olympicis.  
 Modos facient Cœlestes Chori.  
 Spectante Cœlo, Arctore Homine, Authore Deo.  
 Qui veræ cædis progymnasma, fictâ in cæde meditatur.  
 Eodem in Monte Eilium ism olando, Tragœdiam explebit.

## J A C O B

## ISAACI FILIUS.

## M O N I T A

Habes, Viator,  
 Tot in Jacobo documenta, quot gesta,  
 Hic in sterili conjugio divinitus impetratur.  
 „ Disce per vota quarere quod optas.  
 Nam magnum aliquid ponigit Cœlum, cum Æstitur.  
 Jam in gemino tumente fœtu, Jacob optimus,  
 Esau pessimus,  
 Felicissimam simul, & miserimam fecere Matrem.  
 Disce quam finitimum Virtuti sit Vitium.  
 Cum Mali Bonis agnoscantur.  
 Sed ô prodigia! Rixantur Pueri antequam prodeant;  
 Et gladiatoria Palæstra uterus est.  
 Tumulus esse poterat, si magna odia possent latere.  
 Disce quàm prematurè se prodant pupillorum ingenia.  
 Ergo ex pellibus in aciem descendunt: ex utero in Orbem  
 At primas obtinuit Esau, hærente ad calcem Jacobo,  
 Disce commune rerum fatum,

Ut dignitates indigni rapiant, non servaturi.

Vagus enim venator Esau, rabidâ instinctus fame,  
Flatulenta edulia Sacerdotio paciscens,  
Fit ex Domino Verna.

*Disce quam stolidâ sit improbitas.*

Nam inicitus suamet arte venalis venator,  
Cum ad escam involat, libertatem amittit.

Conspiravit in Jacobi gloriam  
Matris acumen, & Patris cœcitas:

Dum pius impio similis,

Paternæ dexterae subrepens, primatum subripit.

Et Esau capitur dum Feras capit.

*Disce sua jura ingenio promoverè:*

Humanius enim mentis acie vincimus, quam Ferri.

Jam Fratris iras ut fugiat Jacob, patriam fugit.

Et sollicitudines per sollicitudines mulcens,

Exitium declinat exilio.

*Disce quàm arduum sit Fratres componere, nisi dividas.*

Magnus ex odio Jacobi labor, major ex amore,

Rachelis conjugium,

Unam videlicet servitutem septenni servitute mercatur.

*Disce amoris nequitiam; qui Sapientes dementat,*

Imposuit Jacobo Labanus,

Dum pro pulcherrima, lippam susposuit,

Bis igitur ut nubat, bis servit:

Et liberos ut acquirat, libertatem amittit.

*Disce quid arvaro fidas, si sanguinem sudoribus vendis.*

Sed opportuna Soceri importunitas Genero fuit.

Nam sterilem invenit pulcrâ, deformem frugi.

*Disce humanarum rerum vices.*

Spem fallit species, utilia sunt quæ spernuntur.

Infelix igitur Rachel ut prolem pariat, vota concipit:

Felix nisi litasset.

Nam Animam simul, ac Benjaminum enixa,

Vitam amisit, cum dedit.

*Disce quàm nostra nos prodeat Cupiditas:*

Perierat nisi pateret: periit, quia peperit.

Jam Natorum ac Pecudum Gregibus auctus Jacob,

Soceri auget invidiam.

C 3

Disce

*Disce quàm magnum sit infortunium magna fortuna,*  
At malum malo mutatur,

Dum à Socero lapsus, in Fratrem relabitur,  
Sed inter furem ac furentem medius,  
Illum dolis vincit, hunc donis.

*Disce quàm secura munimenta sint munera,*

Nam ferro invictos, auro vinces,  
Ultima restabant tentamenta Virtutis:  
Soceri astu, Fratris æstu inconcussus,  
Natorum flagitiis concutitur:  
Cruento Josephi spolio deceprus,  
Fictam cædem veris lachrymis luit.

*Disce, multiplici ex connubio plus doloris quàm solatii progigni*  
Rediit tandem felicitas sera, sed seria.

Lata enim ac tragica agnitione,  
Dum Benjaminum reperit, Josephum reperit,  
Itaque inter Filios duodecim, oscula, & animos dividens,  
Ingenti felicitati succubuit.

*Disce Virtutis leges, Viator;*  
„ Verè ut gaudeas, diu lugendum.

## TRIBUNI XII.

### JACOBI FILII,

#### SOMNIUM,

*Suavis futurorum interpret Somnus,*  
*Vel Iosepho ad Cælum raptò,*  
*Vel Cælo ad Iosephum delato,*  
*Talibus Oraculis puerile pectus implevit.*

Huc nobis Infans.

Significum illum Orbem, Phæbi Phæbesq; curiculū vide  
Ubi Astra duodecim tempestates alternant,  
Vestrae familiæ vides Emblema,

Hic Signorum Princeps, ac vernæ fœcūditatis antistes. *Arcti*  
Te tibi ostendit,

Cui Primigeniorum dignitatem  
Natura negatam Virtus dabit.